



# **Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten**

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1845**

DCCCVI. König Woldemar von Dänemark beurkundet den Verkauf des  
Herzogthums Estland oder Landes Reval an den Deutschen Orden für  
19000 Mark Silber, am 29. August 1346.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

DCCCIV. König Woldemar von Dänemark findet einige Ansprüche auf das Herzogthum Estland ab und sichert dasselbe auch für den Fall dem Deutschen Orden zu, daß sein Bruder Otto das Gelübde, in den Orden einzutreten, nicht erfüllen sollte, am 15. August 1346.

Nos Woldemarus, Dei gratia Danorum Slauorumque Rex et Dux Estonie omnibus prefeas scriptum cernentibus salutem in domino sempiternam. Constare volumus euidenter, quod domicelli Haquinus et Kanutus, filii domini Knuthe pors, Ducis Hallandie, in presentia nostri et consiliariorum nostrorum constituti, omnibus priuilegiis et instrumentis per patrem nostrum dominum Cristoferum, Regem Danorum, pie memorie, super habendo Ducatu Estonie datis eisdem, libere et sollempniter omnique iuris auxilio renunciantes, ea ad manus quoque nostras presentarunt. Nos quoque pro predicto Ducatu Estonie domicellos jam dictos in recompensam de Ducatu Holbeck contentauimus sufficienter, adeo quod sepedicti domicelli nec etiam Rex Svecie seu quiuis alii ad predictum Ducatum Estonie jus aliquod habent, nec habere nec predilectis magistro et fratribus impetitionem mouere de jure poterunt pro nunc et in futurum aliquam questionem. Insuper fatemur, quod si Serenissimus senior frater noster, domicellus Otto, prout proposuit, Deo et beate Marie virgini vouit, ordinem hospitalis ejusdem virginis domus Theutonicorum Jherosolimitane morte preuentus, quod absit, uel aliquo impedimento alio detentus non intraret, ita quod votum suum processum non haberet, nichilominus tamen venditio nostra et donatio ac etiam emptio magistri et fratrum ordinis predicti de sepedicto Ducatu Estonie sollempniter celebrate, prout in litteris inde confectis plenius continetur, in suo robore et firmitate perpetuis temporibus debent permanere. In quorum testimonium sigillum nostrum vna cum sigillis fidelium nostrorum Stygoti Anderson et Friderici de Lochin, militum, presentibus est appensum. Datum Hafenis, anno domini millesimo tricentesimo quadragesimo sexto, die assumptionis beate Marie virginis gloriose.

DCCCVI. König Woldemar von Dänemark beurfundet den Verkauf des Herzogthums Estland oder Landes Reval an den Deutschen Orden für 19000 Mark Silber, am 29. August 1346.

Nos Woldemarus, Dei gratia Danorum Slauorumque Rex et Dux Estonie, Omnibus, ad quos presentes pervenerint, salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presentium volumus pervenire, Quod nos, de maturo consilio et bona deliberatione nec non consensu fidelium prehabitis, ex certis et rationabilibus causis, nos et regnum nostrum tangentibus, vendidimus, dedimus et tradidimus jure proprio et in perpetuum religiosi viri, domini fratri Henrico Tusmer, ordinis fratrum hospitalis beate Marie domus Theuthonicorum Jherosolimitane magistro generali, ceterisque fratribus ac ordini domus ejusdem, pro se, suisque posteris et successoribus, ementibus et ex justo tytulo recipientibus, Ducatum nostrum Estonie, ad Regnum nostrum Dacie pertinentem, videlicet terram Reualiensam, jus presentandi episcopum ibidem et quicquid juris ad ipsum epis-

copatum nobis competit vel competere potest, Wefenberg castrum et ciuitatem, Narwe castrum et ciuitatem et generaliter omnes munitiones, que in predicto ducatu existunt, quocumque nomine nuncupentur, opida quoque, allodia, villas, iura patronatus, feuda, homagia, vasallatus et quecumque seruicia dextrariorum, vrbanoꝝ, rusticorum et curruum, que de iure vel de consuetudine ad regnum nostrum spectantia inibi existunt et exiltere poterunt infuturum cum pascuis, pratis, paludibus, siluis, mericis, nemoribus, agris cultis et incultis, mineris auri et argenti et metalli alterius cuiuscunque atque salis, si que sunt in presenti vel que fieri poterunt in futurum, cum venationibus, aquis, aqarum decursibus, molendinis, theoloneis, monetis, mulctis et emendarum vtilitatibus, piscationibus et marinis tractibus, redditibus et quibuscunque obuentionibus, meliorationibus undecunque prouenientibus in presenti vel etiam in futuro, ad habendum, possidendum, tenendum, vtiliendum, regendum: et quidquid predictis magistro et fratribus eorumque successoribus deinceps placuerit, faciendum, cum omni dominio ducatus predicti omnique iure, jurisdictione, actione, vsu et requisitione, ac omnibus appendiciis et pertinentiis, ad eundem Ducatum spectantibus de iure vel consuetudine, nichil nobis heredibus et successoribus nostri domini juris aut jurisdictionis in predictis Ducatu et terris seu hominibus in toto vel in parte penitus reseruantes, pro decem et nouem milibus marcarum puri argenti ponderis Colonienſis, quam pecuniam confitemur presentibus nos ab ipsis magistro et fratribus habuisse et recepisse ac nobis integre datam, solutam et numeratam esse, exceptioni nobis non dati, non soluti et non numerati precii, etiam omni iuris auxilio nobis competenti, omnino renunciamus. Et ex quo sincerissimus senior frater noster carnalis domicellus Otto, ad quem idem Ducatus iure hereditario pertinet, ob salutem anime sue ordinem predictorum fratrum se et sua dedicando ingreditur, etiam in remissionem peccaminum progenitorum nostrorum, et insuper nos cupientes fore participes honorum operum, que fiunt per fratres ordinis supradicti, de consilio et consensu ejusdem fratris nostri, donauimus ex certa scientia irreuocabiliter inter viuos dictis magistro, fratribus et ordini, quod res nunc valet plus precii vel valere poterit et quicquid nobis heredibus aut successoribus nostris in et ex predictis competit aut competere poterit in futurum. Hanc igitur venditionem, donationem et traditionem et omnia et singula supra scripta prouide, rationabiliter et ex certa scientia per nos facta, promittimus bona fide, pro nobis nostrisque heredibus et successoribus vniuersis, antedictis magistro et fratribus pro se suisque successoribus et ordine stipulantibus perpetuo firma, rata et grata habere, tenere et adimplere: nec contra facere, venire vel infringere per nos vel alium in toto vel in parte aliqua ratione, causa vel ingenio, de iure vel de facto, que omnia esse volumus circumscripta. In quorum testimonium et robur perpetuum, sigillum nostrum vna cum sigillis fidelium nostrorum militum, videlicet Stigoti Anders-Sun dicte terre Reualienſis Capitanei et Friderici de Lochin quondam nostri marschalci, presentibus est appensum, cui fidem omnimodam volumus adhiberi, non obstantibus sigillis, si quibus in preterito vsi sumus vel nos vti continget in futuro. Actum et datum Marienburg, anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, die decollationis sancti Johannis baptiste.